



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

62. Roberti Praepositi, & Capituli Antuerpiensis tabulae, de decimis & praedijs in Milleghem, emptis per lotham matronam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

rum suorum, redditus decem marcarum in ecclesia Antvverpiensi ad vsum vnius præbendæ, instituit: ita quod in ea statim eligeretur Canonicus, qui in fratrem receptus, cum Canonicis suis æqua fructuum gauderet possessione; redditus verò prædicti in vsum cederent communitatis. Ad quam præbendam Præpositus & Capitulum Antvverpiense, communi voto, Ioannem acolytum canonicè in fratrem & Canonicum elegerunt.

Quam institutionem, & canonicam eiusdem præbendæ collationem præsentium auctoritate confirmatam, tam ipsam quàm alias ecclesiæ præbendas sub nostra protectione suscipimus; sub anathematis interminatione districtiùs inhibētes, ne aliquis de cetero huic nostræ confirmationi se opponat, aut præsumat de prædictis, seu quibuscumque alijs ecclesiæ iustis possessionibus, quas ad præsens possident, vel in futurum poterunt adipisci, dictæ ecclesiæ Canonicos molestare.

Quod vt debitam obtineat firmitatem, præsentem fecimus conferri paginam, sigilli nostri caractere roboratam. Actum anno 1203. Verbi incarnati millesimo ducentesimo tertio.

## C A P V T L X I I.

*Roberti Præpositi & Capituli Antuerpiensis tabula de decimis & prædijs in Milleghem, emptis per Iotham matronam.*

**I**N nomine sanctæ Trinitatis, ego ROBERTVS, ecclesiæ B. Mariæ in Antverpia Præpositus, & quod mecum est Capitulum, notum facimus vniuersis, præsentem paginam inspecturis,

Quòd quædam matrona, IOTHA nomine, spiritu pietatis ducta, ad comparandos redditus decem marcarum, se ecclesiæ nostræ obligauit, & filium suum Ioannem, Concanonicum nostrum, huius rei fideiussorem interposuit, sub tali quidem forma, vt in ea nouus institueretur Canonicus, ibidem in perpetuum ministraturus.

Postmodum verò, cum duos manipulos decimæ de MILLENGHEM, & quædam alia bona in eadem villa, consilio domini Ducis, & nostro comparasset, & eorundem bonorum inuestituram de manu domini Ducis ecclesia recepisset, vt ipsam à præmissa obligatione, & filium à fideiussoria cautione absolueremus, postulauit.

Y y 2

Nos

Nos verò iustæ petitioni ipsius debitum præbentes assensum, bona præmissa, cum omni commodo vel incommodo, quod in posterum posset provenire, in communitatem nostram recepimus; ipsamque & filium in præmissis obligationibus de tanta parte reddituum, quantam de præmissis bonis annuatim provenire contigerit, omnimodis absolvimus. Et tali quidem facta æstimatione, ut tria sistaria siliginis pro marca, & quattuor sistaria hordei similiter pro marca computentur.

1206. Ut autem hæc rata & inconuulsa in perpetuum permaneant, præsentis paginæ rei gestæ seriem impressimus, & sigillorum nostrorum appositione communiuimus. Datum anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo sexto.

## NOTATIONES.

Ut IOTHA matrona Antuerpiæ, sic Godefridus Villicus seu Prætor Louaniensis an. 1188. & alij non pauci homines priuati, varias præbendas Louanij in ecclesia S. Petri instituerunt ac dotarunt.

MILLENGHEM) hodie Milleghem, vicus Antuerpiæ vicinus.

DVCIS) Brabantia, Henrici eo nomine primi.

SISTARIA) Brabantis *Sisferen*, genus mensuræ granorum.

## CAPVT LXIII.

*Baldwinus cognomento Magnanimus, Flandria & Hannonia Comes, ab Henrico VI. Imp. primus Namurci Marchio creatus, dotat an. 1192. Namurcensem S. Albani ecclesiam, nunc cathedralem.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. BAYDVINVS Comes Flandriæ & Hannoniæ, & Marchio Namuci primus, vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, in perpetuum.

Cognitū fieri volo vestrę discretionis, quòd cum Dominus omnipotens, ad honorem Namucensis castri, quod me ex parte auunculi mei, HENRICI Comitis Namuci & Lusceleborg. iure hereditario contingebat, me sublimasset, & Henricus Sextus Romanorum Imperator, ex honore ipsius castri, & eius appenditijs, me MARCHIO-

NEM